

5. De omnipræsentia Christi sic docemur, quod sit præsentissima omnipotentis Christi rerum omnium, in celo & in terra gubernatio.

54. Quæ distingvenda ab ipsa Unione personali cum τὸ λόγῳ, tanquam effectum à sua causa.

55. Deinde distingvendi sunt præsentia gradus sive modi!

56. Et refertur omnipræsentia ad Christum Θεανθρωπον, non ad solam Deitatem.

57. Neq; tamen humanitas Christi evadit infinita; tamen subsistat in infinita persona τὸ λόγῳ, & infinitis donis sit ornata.

58. Qui dicit τὸν λόγον post factam incarnationem uspiam esse extra suam carnem, is solvit personæ unitatem.

59. Qui facit gradus in adoratione & superiorem Deitati inferiorem humanitati Christi transcribit, is & Nestorianus est, & à Papismo minimè purus.

6. Principia Theologiæ negat, qui negat omnem potestatem & in celo & terra, esse infinitam.

DISP. VII.

De Christi Officio & statu.

1. Tertium genus communicationis est, quando in Christo utraq; natura agit, quod sibi proprium est, cum alterius communicatione.

2. Recte hic dicitur agere Christus secundum utramq; naturam; & utraq; natura agere in ipso, quod sibi proprium est, cum alterius communicatione, Damascenus L. III. de O. F. c. 15. & 19.

3. Operatur igitur Christus secundum naturam humanam, non tantum ex ipsius proprietate naturali, sed etiam ex potestate divina ipsi per unionem communicata. Damasc. L. III. C. 15. 17. 19.

4. Valeant Jesuitæ cum Stanckaro, disputantes, Christum esse Mediatorem tantum secundum naturam humanam.

5. Officium Christi triplex est Propheticum, Sacerdotale & Regiū!

6. Officium Propheticum est, quo Christus nobis revelavit Dei voluntatem de nostra salute.

7. Officium Sacerdotale est, quo medium sese inter Deum & homines peccatores ponens, Deum toti hominum generi reconciliavit; satisfaciendo divinæ legi, & apud Deum intercedendo.

8. S3;